



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensiſ Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Caput Septuagesimum tertium. De Virgine à graui aegritudine curata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

Huxaria.

FAbrum hunc Betzelinum & vxorem eius Hildegundem tradunt manuscripti fuisse Huxarienses. Huxaria verò oppidum est ad Vilurgim Abbatis Corbeiensis iurisdictioni subiectum, quod olim Philippus Archiepiscopus Coloniensis in iniuriarum ab Henrico Saxone illatarum vindictam, incendio vastauit, vti narrat Gobelinus persona Cosmodromij ætate sexta.

Caput Septuagesimum tertium.

De Virgine à graui aegritudine curata.

Virgo
morbida
sanatur.

VIRGO quædam octo annis morbi cuiusdam infestatione adeò debilitata fuit & excruciatâ, vt absque alienis manibus nec edere, nec bibere, nec loco mouere se posset. Adducta igitur ad locum, vbi beatus Episcopus sanguinem fudit, mox vt illum attigit, sanata est.

Notatio ad Caput Septuagesimum tertium.

MAnuscripti Virginem hanc inquilinam dicunt pagi Hagensis, cuius capite 46. memini. pag. 254.

Caput Septuagesimum quartum.

De Puerò mente capto & sanato.

1237.
Puer mète
captus
curatur.

HOc anno, qui est à Christo nato millesimus ducentessimus tricesimus septimus, puer quidam annos plus minus sedecim natus, sed mente captus, à matre ductus est in beati ENGELBERTI Ecclesiam, quæ est in Giuelsberg. Stanti autem illi in eo templo, quidam sic ait: Abi ad altare, & sublatis manibus ora beatum pontificem, qui illic sanguinem suum fudit, vt te sanet. Fecit ille, vt iussus erat, & curatus est.

Notatio ad Caput Septuagesimum quartum.

Mscr. Mo-
nasteriësis.

HÆtenus manuscripti Svvelmensis plerumque fidem secutus, nunc quæ sequuntur ex Monasteriensi restituo, quòd in illis prior deficiat.

Caput